

licet possit, non vult obligare in foro externo, multo minus vult obligare in interno, quia per se primo intendit politicam obligationem, et internam efficit quasi consequenter, et in ordine ad illam, ut postea dicemus.

7. *Respondetur ad fundamenta contrariæ sententiæ.* — Fundamenta vero contrariæ sententiæ parvi momenti sunt. Hic enim non frustra expectatur lapsus duorum mensium, quia non expectatur ut lex sciatur a singulis, sed ut accipiat vim obligandi, quam non aliter accepit a legislatore ex voluntate ejus, quæ potuit moveri ex illa ratione, ut notitia legis posset prius haberi ab omnibus. Quod autem hæc ratio cesset in uno, non mutat vim legis, nec voluntatem legislatoris. Præsertim quia motivum etiam esse potuit ut lex prius sciretur ab omnibus, et non prius obligaret hos quam illos, ut Navar. dixit. Caput autem 1 de Postul. Prælat. solum dicit legem promulgatam obligare scientes, licet eis non sit specialiter intimata: non excludit autem tempus requisitum ex vi juris, præsertim pro legibus civilibus. In cap. autem *Cum singula* nihil habetur, et Glossa, si attente legatur, potius favet nostræ sententiæ. Denique tempus hoc non postulatur, ut promulgatio legis certior fiat, sed ut lex ipsa valida esse incipiat, quoad inferendam actualem obligationem.

8. *Quid dicendum de regibus, qui non recognoscunt superiorem in temporalibus.* — Secundo, principaliter dicendum est leges regum qui non recognoscunt superiorem in temporalibus, nec legibus imperatorum subjiuntur, non esse regulandas per dictum jus civile commune, ac subinde statim incipere obligare, nisi vel in ipsa lege aliud declaretur, vel per leges proprii regni alius modus determinatus sit, aut illud jus commune sit consuetudine saltem acceptatum. Tota hæc assertio est consentanea communi doctrinæ, et satis clara. Prima ergo pars patet, quia jus imperatorum non obligat in hujusmodi regnis supremis, ut supra ostensum est: ergo nec illa authentica obligabit, nec habebit vim legis. At vero illa seclusa, et aliunde non addita limitatione, lex relinquitur in sua natura, quæ est ut statim obligare incipiat, sicut declaratum est: ergo. Et ita probata relinquitur secunda pars. Tertia autem probatur, quia certum est posse legislatorem designare tempus pro quo vult obligare, et non antea. Et eadem ratione poterunt reges supremi in suis regnis definire tempus pro quo leges promulgatæ obligare inciperent. Atque ita in hoc Lusitaniæ regno

statutum est ut lex promulgata in curia regni incipiat ibi post octo dies obligare; in toto autem regno post tres menses, libro primo *Ordinat.*, tit. 2, § 10. Quod jus istius regni ita est cum proportionem exponendum, sicut jus commune declaratum a nobis est, et idem cum proportionem dicendum est de legibus aliorum regnorum.

9. *Leges latæ ab inferioribus magistratibus statim obligant, si non expriment aliam determinationem.* — Dico tertio leges latas a magistratibus statim obligare, si non expriment aliam temporis determinationem. Ita Hostiens. in sum. tit. de Constitut. § *Quando*; Abb. Deci. et alii in c. 2 de Const.; Turrecrem, § *Leges*, post c. *In istis*, d. 4; Sylvest. verb. *Lex*, q. 6; Angel. et alii; et Navarr. c. 22, n. 44, et dicto cons. 1 de Constit. q. 4. Rationes variæ afferuntur; sed unica est solida, quia circa has leges et tempus obligationis earum nihil est jure humano dispositum aut limitatum: ergo tunc obligant quando ex natura rei possunt; sed ex natura rei obligant statim, ut ostensum est; ergo. Primum antecedens ab omnibus supponitur ut indubitatum, quia dicta Authentica de solis legibus imperatorum loquitur, et præter eam nullum tale jus invenitur scriptum: cætera vero evidenter inferuntur. Unde etiam sequitur hanc obligationem quoad loca distantia intelligendam esse modo explicato, et ideo dicunt omnes juristæ supra allegati talem legem statim obligare præsentem; respectu vero absentium, tempus esse arbitrarium, quod maxime intelligi debet de illis absentibus qui ex natura rei scientiam legis habere non possunt in eodem momento, aut brevissimo tempore. Denique intelligendum hoc est, seclusa consuetudine in contrarium: nam ubi per illam introductum fuerit ut tales leges non obligent, nisi post hoc vel illud tempus a promulgatione, servandum est, quia tunc jam habent limitationem a jure positivo non scripto: hanc enim vim habet consuetudo: hæc tamen non est generalis; ubi ergo fuerit specialis, satis de illa constare debet.

10. *An lex obliget ignorantem.* — Unum vero superest hic dubium commune omnibus legibus, an et quomodo obligent ignorantem, postquam sufficienter promulgatæ et desesatis evulgatæ fuerint. Supponendum autem sermonem esse de ignorantia invincibili: nam si ignorantia sit culpabilis, satis clara est obligatio; non enim esset culpabilis ignorantia legis, nisi lex ipsa jam obligaret ad notitiam sui habendam; ideo enim ita imputatur transgressio ignorantem, ac

si sciret legem. Potest autem lex ignorari invincibiliter, ut suppono ex 1. 2, q. 76, et late tractat Castro lib. 1 de Leg. poenal., c. 1 et 3, et Cordub., lib. 2, quæst. 4. Quando vero talis sit judicanda ignorantia in foro conscientie, in dicta 1. 2, quæst. 6 et 76 dictum est. Quando item præsumatur talis in foro externo, tractant Panormit. et Felin. in d. cap. 2 de Constit., Sylvest. verb. *Lex*, quæst. 7. Posita ergo ignorantia, omnes supponunt ignorantem non agere contra legem, licet illam non observet, ita ut sit dicendus ejus transgressor, vel ut talis puniendus.

11. *Concordia dictarum opinionum.* — *Lex obligat ignorantem quoad sufficientiam, non quoad efficaciam.* — Dubitant vero an lege obligetur: nam quidam aiunt tunc legem non obligare ignorantem; Innoc., Panormit. Felin. et alii cap. 2 de Const., Bald. in lib. *Leges sacratissimæ*, C. de Legib.; Glossa in cap. 2 de Rebus Ecclesiæ non alienand., in 6, verb. *Hactenus*; et Glossa etiam in data l. 6; sentit idem Cajet. quæst. 90, a. 4, et Castro supra. Fundatur hic loquendi modus, quia ut causa operetur, debet esse non solum in se sufficiens, sed etiam satis applicata; lex autem est quædam causa quæ applicatur per notitiam; ergo quamdiu ignoratur invincibiliter, non inducit obligationem. Contrario modo loquuntur Soto q. 1, cap. 4, lib. 1, et Medin. quæst. 90, art. 4, ubi favet D. Thom. ad 2. Fundatur, quia ignorans excusari dicitur a culpa; excusatio autem supponit obligationem: nam qui non obligatur lege, non dicitur excusari, ut laicus, verbi gratia, non dicitur excusari a recitandis horis canonicis, sed omnino non teneri. Dissensio autem, ut dixi, est de modo loquendi. Et concordia esse potest, legem, quantum est ex se, obligare etiam ignorantem, si habeant omnia alia requisita; quæ potest dici obligatio in actu primo, quæ satis est ad propriam executionem, et ita excluditur exemplum adductum, nam lex de recitandis horis canonicis etiam de se non obligat laicos. In actu vero secundo, revera non exercet lex obligationem circa ignorantem ex defectu applicationis, et hoc probat ratio alterius sententiæ: imo hoc ipsum est quod nomine excusationis significatur. Recte ergo dici potest lex obligare ignorantem quoad sufficientiam, non vero quoad efficaciam. Quod significavit Sylvest. verb. *Lex* q. 8, et Angel. n. 12 et 14; et in re forte alii non dissentiunt. Quod vero speciale in hoc habeant leges irritantes, vel ipso facto punientes, aut revocantes alias, inferius suis locis dicemus.

CAPUT XIX.

UTRUM ACCEPTATIO POPULI SIT NECESSARIA IN LEGE CIVILI UT PERFECTE CONSTITUATUR ET VIM HABEAT OBLIGANDI.

1. *Prima opinio, non obligare legem si non acceptetur a populo.* — *Estque communis juristarum.* — Hæc esse potest ultima conditio ad valorem et efficaciam legis humanæ necessaria. Et circa illam variæ sunt opiniones. Prima dicit legem civilem non obligare si a populo non acceptetur, ac subinde acceptance[m] populi esse necessariam, ut lex habeat statum et efficaciam legis. Hæc videtur esse communis opinio juristarum in cap. 1 de Treug. et pac., ubi Felin. plures refert, et maxime videtur suam mentem hoc modo declarare in n. 12; Idem Domin. in § *Leges*, d. 4; Covar., lib. 1 Variar., cap. 16, n. 6 ubi plures etiam citat; et Nav. in Sum., cap. 23, n. 41, et Consil. 1 de Const., q. 5. Idem sentit Jason. in l. *Rem non novam*, § *Patroni*, c. de Judic. ubi Glossa, verb. *Pactis*, idem indicat, licet magis de consuetudine loqui videatur. Ex theol. tenet idem Major in 4, d. 13, q. 4, in argumentis contra secundam conclusionem, et Dried., lib. 1 de Libert. Christ., cap. 9, docum. 2. Tenet etiam Armil., verb. *Lex*, n. 11; Angel., n. 4, in fine; Sylvest. etiam ibi, q. 6, dicto 4, prius hoc absolute affirmat, postea vero ita rem involvit, ut vix mens ejus percipiatur. Citari solet sententia August. in § *Leges*, dist. 4. Est tamen Gratiani asserentis *leges promulgatione constitui, firmari autem usu*; nam hinc sequi videtur, accipere leges firmitatem et vim obligandi ab usu et acceptance subditorum. Consonat etiam l. *De quibus*, ff. de Leg. dicens: *Ipsæ leges nulla alia causa nos tenent, quam quod judicio populi receptæ sunt*; et Arist., l. 2 Politic., cap. 6, in fine dixit: *Lex nullam vim obligandi habet, nisi ex more*.

2. *Nullum acceptance[m] populi melius signum an lex communi bono conveniat.* — *Imperator non potest ferre leges bono communi contrarias.* — Ratione potest dupliciter fundari hæc sententia: nam, quia ad legem potestas et voluntas concurrere debent, potest acceptatio requiri, vel ex defectu potestatis ad legem aliter ferendam, vel tantum ex defectu voluntatis. Primum ergo fundamentum sit, quia in principe seculari, vel rege, non est potestas ad obligandum populum per legem, nisi ipsemet populus illam acceptet: hoc enim in dictis juribus et

ab Aristotele significari videtur: et ratio reddi potest, quia magistratus civilis habet a populo potestatem, ut supra vidimus; ergo potuit populus illam non dare, nisi sub hac conditione ut non obligaretur legibus principis, nisi ipse etiam populus per acceptationem in eis consentiret; ergo verisimile est sub hac conditione, et non aliter, illam dedisse. Patet hæc ultima consequentia; tum ex usu antiquissimo populi romani, quem referunt Alex. ab Alex., lib. 6 Gen., cap. 23, Rebuff., t. 1 Comment. leg. Galli. in Præfat., Gloss. 1, n. 12; Covarr. in Pract. quæst., cap. 1; tum etiam, quia ita videbatur conveniens ad commune bonum, quia nullum signum melius esse potest, an lex communi bono totius populi conveniat necne, quam ipsius acceptatio vel repugnantia. Atque hoc fundamento utitur Major supra, et hac ratione dicit rempublicam esse superiorem principi in his quæ ad supremum regimen spectant, ut est legislatio. Idem fere sentit Castro, lib. 1 de Leg. pœn., cap. 1. Aliter vero explicat hanc impotentiam Dried., videlicet, quia imperator non potest ferre leges bono communi contrarias; eo autem ipso quod totus populus, vel major illius pars legi resistit, non expedit illi talis lex, quia plus damni eturbationis quam commodi afferret, et ideo talis lex amittit vim obligandi, nec potest princeps illam firmare, etiamsi velit.

3. Secundum fundamentum est defectus voluntatis: nam, licet princeps habeat potestatem, non præsumitur habere voluntatem obligandi populum per legem, donec illam acceptet: effectus autem agentium non excedunt voluntatem eorum, et ideo, supposita illa voluntate, certum erit non oriri obligationem ante acceptationem, quia conditio non est impleta, et consequenter nec voluntas: sicut votum vel pactum conditionatum ante impletam conditionem non obligat. Major propositio, seu modus ille conditionatæ voluntatis principis, asseritur ab auctoribus citatis, præsertim Felino, Navarr., Covarr. et Dominico, et Gerson., t. 3, tractat. de Vita spirit., lect. 4; Cord. 13; et licet ab eis non probetur, conjectura esse potest, quia lex debet esse communis regula; ergo credendum est legislatorem nolle ut habeat statum et vim communis regulæ, donec a communitate acceptata sit, quia non est verisimile ut voluerit obligare et cogere totam communitatem invitam, aut aliquos in particulari, dum alii majori ex parte resistunt. Et ad hunc sensum potest etiam accommodari conjectura Driedonis, quia præsumendum est

legislatorem nolle obligare, si lex non sit conveniens bono communi; si autem non acceptatur, magnum signum est legem non esse convenientem communi bono; ergo. Confirmatur tandem, quia consuetudo potest abrogare legem jam obligantem; ergo multo magis prævenire ne obliget, maxime quia videntur populi in hoc jam quasi præscripsisse, et ita acquisivisse jus non parendi legibus, donec acceptentur.

4. *Secunda opinio acceptationem non esse necessariam ad legis obligationem.* — Secunda sententia extreme contraria, est, acceptationem non esse necessariam ad legis obligationem vel perfectam institutionem, sed potius esse effectum qui sequi debet ex lege jam instituta sufficienter et obligante. Hanc sententiam tenet aperte cardinalis Zabarellus in proemio Clement. verb. *Universitati*, q. 2, ait enim non receptionem indistincte nihil operari, nisi transeat in consuetudinem a legislatore non ignoratam; et Turrecrem. in § *Ideo*, d. 4, dicens, cum Archid. et Hugone, legislatorem posse compellere subditos ad acceptandam legem, quia alias potestas ejus esset illusoria, et in § *Leges*, eod., dicit leges accipere ex moribus firmitatem stabilitatis, non vero firmitatem auctoritatis, ubi etiam refert Lauren. et Archid. dicentes leges firmari moribus de facto: nam de jure satis firmatæ sunt ab ipsa institutione. Idemque sentit ibi Præposit. et inclinat Sylvest., dicta q. 6, quatenus sentit non receptionem non tollere legem, nisi per modum consuetudinis, quando princeps scit et tolerat. Tenet etiam Gregor. Lop. in lib. 16, tit. 1, part. 1, n. 4, ubi plures refert, et dicit esse communem intentionem doctorum loquentium in hac materia, et idem tenet Medin. Cod. de Restit., q. 36, ad 5; et si attente legatur, idem tenet Castro, lib. 1 de Leg. pœnal., cap. 1.

5. Fundamentum hujus sententiæ est, quia lex sufficienter promulgata et proposita ab habente auctoritatem obligat ad sui observationem; ergo et ad sui acceptationem; ergo non est possibile ut acceptatio sit conditio necessaria ad obligationem legis. Consequentia sunt claræ, quia fieri non potest ut effectus causæ sit conditio necessaria in ipsa causa, vel ad esse, vel ad operari, quia talis conditio necessario supponitur ad effectum. Et in præsentibus declaratur, quia vel subditi tenentur acceptare legem ex vi et obligatione ipsius legis, et sic evidens est acceptationem non requiri ad legem, sed sequi ex lege: vel est liberum subditis acceptare, et sic non obligabuntur ad

legem acceptandam, cujus contrarium in primo antecedenti sumpsimus. Probatur ergo illud antecedens, quia in supremo legislatore non deest potestas, et potest non deesse voluntas, et judicandum est non deesse quando absolute fert legem: tantum enim ex his duobus principiis hæc obligatio pendet, ut recte sumebat contraria opinio. Unde contra duo fundamenta ejus probandæ sunt duæ partes assumptæ.

6. In prima notanter dixi in supremo legislatore, quia inferior magistratus potest habere facultatem limitatam sub tali vel tali conditione. Imo in aliquibus provinciis, licet per reges gubernentur, dicitur non esse translata in regem absoluta potestas ferendi leges, sed solum cum consensu regni in publicis comitiis ejus, ut dicitur esse in regno Aragoniæ. Et tunc verum est requiri aliquo modo acceptationem regni ad valorem legis; tamen etiam in eo casu non est illa acceptatio de qua nunc tractamus, quia non est consequens ad institutionem et promulgationem legis, nec est a subditis, ut tales sunt, sed est consensus regni simul cum consensu regis concurrens ad condendam legem, in quo regnum se habet tanquam assessor cum rege ad legem instituendam, et postea sequi debet promulgatio, ac deinde acceptatio subditorum. Et ita cum proportione etiam in tali modo regiminis est verum, in supremo legislatore esse potestatem ad obligandum subditos, ut acceptent legem: nam ibi supremus legislator non est solus rex, sed rex cum regno. Ubi autem tale pactum non intercessit inter regem et populum, nec de illo potest usu aut scripta lege constare, non est data principi potestas cum illa limitatione, sed absolute constituitur caput reipublicæ. Et ita servatur regulariter in perfecta monarchia, in qua suprema potestas est in imperatore vel rege, vel quocumque alio qui in temporalibus non habeat superiorem: nam in illum transtulit populus suam potestatem absolute et simpliciter, ut ex ordinario modo regiminis constat, nec aliud verisimiliter affirmari potest, nisi ubi ex consuetudine constiterit. Idemque est cum proportione in reipublica suprema, quantum ad senatum, in quem est translata potestas absolute, nisi de alia limitatione ex consuetudine vel alio modo constiterit.

7. *In omni regimine non democratico populus transtulit supremam potestatem in principem.* — Sic ergo declarata illa pars facile probatur. Primo, ubicumque regimen non est

democraticum, populus transtulit supremam potestatem in principem, sive ille sit una persona, ut in monarchia; sive sit consilium procerum, ut in aristocratia, sive sit mixtum aliquid ex utroque, ut est dux cum senatu, vel rex cum comitiis regni; ergo, in his omnibus, is qui de facto supremam potestatem habet ad ferendam legem, habet etiam potestatem ad obligandum omnes de regno ut illam acceptent. Probatur consequentia, primo, ex illo Paul. Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Secundo, quia alias inefficax valde esset illa potestas et plane inutilis, si non posset cogere subditos ad acceptandam et observandam legem. Tertio, quia usu constat reges statim ac lex sufficienter est constituta, promulgata et proposita, punire transgressores, nulla populi acceptatione spectata, imo pœnis cogunt ad observandam et acceptandam; hæc autem correctio justa est, ut constat; ergo supponit obligationem. Unde, licet fortasse fuerit consensus populi necessarius ad condendam legem, quando aliqua ex parte regimen reipublicæ fuit democraticum, translata tamen potestate in verum monarcham, non est talis consensus populi necessarius, et consequenter nec ejus acceptatio, si princeps velit uti sua potestate. Imo, si formaliter et proprie loquamur, post legem absolute constitutam ab habente supremam potestatem, nunquam fuit nova acceptatio necessaria, sed in sola democratia contingebat, ut idem esset condens et acceptans legem, et ideo simul fiebant.

8. Jam vero supposita potestate, quod voluntas non desit quando lex simpliciter fertur, probatur primo a posteriori indicio allato, quia principes cogunt per pœnam ad legis executionem, ut usu ipso constat. Neque in principio quando lex fertur audebunt subditi coram iudice excusationem afferre, quod legem non servaverint, quia recepta non fuerit: nam hoc est quod tunc agitur, et ad quod directe cogunt, et propter quod puniuntur, scilicet, quia illam non observant, et observando acceptant; neque illa prævia acceptatio necessaria censetur. Secundo id constat ex vi verborum legis, quæ simpliciter sunt præceptiva: præceptum autem absolute latum non obligat si subditus velit acceptare: quæ enim esset hæc obligatio? sed absolute inducit necessitatem, teste Paul. Rom. 13, quia sufficienter indicat absolutam principis voluntatem. Quam enim ipse non limitat, quomodo possunt subditi limitare? Tertio, si hæc potestas est in

principe, certe non est vana nec superflua, sed propter usum necessarium aut saltem convenientem reipublicæ; ergo quoties princeps simpliciter legem fert, censendus est hac potestate uti, quando aliud non declarat, nec ex aliis conjecturis morali certitudine constare potest.

9. *Præfertur posterior opinio.* — Quocirca posterior sententia simpliciter asserenda, et pro regula habenda est, quia solidum habet fundamentum, et plane dissolvit contrarium fundamentum, ut ex proxime dictis constat. Et hoc confirmari potest ex Authentica, Ut factæ novæ constitutiones, ubi post publicationem legis et lapsum temporis designati præcise exigitur observantia legis, nec de acceptance fit mentio: et idem in actu exercito (ut sic dicam) servatur in modo ferendi singulas civiles leges. Deinde hoc confirmari potest ex dicto § *Leges* (quamvis non habeat canonis auctoritatem); nam ibi dicitur lex institui cum promulgatur: ergo si jam est lex, jam habet vim obligandi. Dicitur autem firmari non sola acceptance, sed moribus et usu, non ut obligare incipiat, quia ipse usus ex obligatione nascitur, sed ut stabilior sit et non facile abrogetur, ut supra tactum est.

10. *Post legem sufficienter promulgatam pro tempore quo potest obligare, peccare subditos qui in principio illam non observant solum quia illam acceptare nolunt.* — Unde consequenter dicendum est post legem sufficienter promulgatam et propositam pro eo tempore pro quo potest obligare, peccare subditos qui in principio illam non observant, solum quia illam acceptare nolunt. Hoc docent communiter doctores, et sequitur necessario ex dictis; nam lex obligat ad sui acceptance: ergo qui legem statim violat contra illam delinquit, et qui non acceptat etiam in hoc legem transgreditur. Nihilominus tamen fieri potest ut, si illa non receptio seu violatio legis valde sit frequens et in majori parte populi, et legislator sciens dissimulet et non cogat ad observantiam legis, lex facile desinat obligare: non quia acceptata non fuit, sed quia ex tacito consensu principis revocata fuit, in quo fere omnes doctores consentiunt, ut videre licet in Felino supra, et latius dicturi sumus infra l. 7, tractando de consuetudine, ubi etiam dicimus quod tempus sufficiat ad revocationem legis, et quæ scientia tum in principe tum in subditis non servantibus illam requiratur.

11. *Lex injusta non est lex.* — Hæc autem regula generalis pati potest nonnullas excep-

tiones. Una est, si lex sit injusta, sed hæc revera non est exceptio: nam lex injusta non est lex. Præsertim quando ex parte materiæ est injusta, quia rem iniquam præcipit: tunc enim non solum ad acceptandum non obligat, verum etiam neque si sit acceptata. Quia non solum non tenentur subditi acceptare illam, verum etiam non possunt, quando est clare et manifeste de re iniqua. Quando vero tantum est injusta respectu subditorum, quia illis infert gravamen injustum, etiamsi ab eis sine peccato servari possit; tunc etiam non obligat ut acceptetur, tum quia excedit potestatem legislatoris, tum quia nemo patiens injuriam per legem potest per illam obligari. Imo, etiamsi subditi acceptent, non obligabuntur lege ut lex est: an vero possint obligari, vel per modum pacti, aut promissionis, vel donationis, aut tandem præscriptionis, quæstio est alterius loci, quam fortasse attingemus in sequentibus.

12. *Prima exceptio in dicta regula, si lex sit nimium gravis, licet non injusta.* — Alia exceptio est, si lex, quamvis non sit injusta, sit tamen nimium dura et gravis, et talis communiter a populo seu republica judicetur: tunc enim verisimile videtur non obligare populum ad acceptandum, nec peccare eos qui incipiunt non servare legem. Quia tunc verisimiliter præsumitur non esse latam legem illam a principe cum intentione absolute obligandi, sed solum experiendi quomodo talis lex a populo recipiatur: unde etiam subditi videntur simili intentione posse incipere non servare legem, ne sibi gravamen inferant, vel certe unusquisque poterit licite expectare, in quam partem communitas populi inclinet, et interim non servare legem. Quæ exceptio est probabilis, præsertim utendo in hoc sensu prioris sententia, quia saltem sub hoc prætextu videtur multum usu recepta. Tamen in rigore juris aliud videbatur dicendum, quia si lex censetur ita dura, ut excedat potestatem, jam est injusta, et procedit prima limitatio: si autem illa difficultas semper est intra latitudinem justæ legis, videtur parendum legi, juxta illud Ulpiani in l. *Prospexit*, ff. Qui et a quibus: *Quod quidem perquam durum est, sed ita lex scripta est.* Nam licet durum sit superioris mandatum, obediendum est, ut dixit Glossa in cap. *Ex parte*, 2 de Offic. delegat. Quapropter in hujusmodi casu consulti erit instare coram principe ut legem auferat vel moderetur, interim servando illam, si tempus urgeat, et princeps interdum tenebitur connivere; si tamen in sen-

tentia persistit, servanda est lex et acceptanda, quia in rigore supponitur esse valida, cum non supponatur injusta.

13. *Tertia exceptio, si de facto major pars populi non servat legem.* — Tertia exceptio esse potest, si de facto major pars populi non servat legem: nam, licet forte illi peccaverint qui inceperunt, et qui primum secuti sunt, tamen postquam res ad eum statum pervenit ut de facto a majori parte non servetur, tunc alii sine peccato poterunt majori parti conformari et excusari, licet forte lex nondum plene revocata sit, quia pro tunc non possunt pauciores commode servare legem, et habent commodam causam excusationis (ut Navar. ait), quia observantia privata talis legis jam non pertinet ad commune bonum, nec videtur velle princeps obligare unum vel alium, quando communitas non observat legem. Verum tamen hoc etiam indiget magna moderatione, alioqui multæ leges humanæ non obligarent timoratos et justos, quia major pars reipublicæ eas non servat, quod absurdissimum esset: solum ergo potest hoc habere locum quando non solum non servatur lex a majori parte, sed etiam ejus observantia perturbationem generat in republica cum periculo seditionis vel scandali: tunc enim merito excusabuntur particulares personæ, quia jam talis observantia non esset utilis communi bono, et princeps ipse tenebitur tunc legem tollere, saltem propter majora mala vitanda. Quando vero censenda sit lex derogata per hanc subditorum resistantiam, dicemus commodius in libro sequenti, capit. decimo-sexto, quia in hoc communis est doctrina utrique legi canonice et civili.

CAPUT XX.

UTRUM INTENTIO LEGISLATORIS SEU RATIO LEGIS SIT INTRINSECA FORMA EJUS.

1. *Verba sunt materia et corpus legis; mens legislatoris anima.* — Explicuimus ea quæ externam formam legis concernere visa sunt, superest dicendum de his quæ ad formam ejus internam et quasi spiritualem pertinent: sic enim duo in lege esse distinguenda supra posuimus. Sumiturque ex communi modo loquendi jurisperitorum: distinguunt enim in lege verba et mentem legislatoris, et primum dicunt esse quasi materiam et corpus legis: secundum esse spiritum et animam legis. Tradit Bald. in l. *Scire etiam*, ff. de Excus. tut.; Rogerius in tr. de Jur. inter. q. 1, n. 16 et

seq.; Stephan. de Freder., tr. de Interpret. leg., p. 1, a n. 2; Georg. Natham in tr. de Statuto, q. 4, n. 346; Tiraquel. in l. *Si unquam*, verb. *Si libertas*, a n. 45. Nos autem supra in verbis ipsis duo distinximus: scilicet, materialia verba et significationem, per quam sensum reddunt et mentem legislatoris declarant; et illa duo inter se comparando, diximus significationem esse formale respectu materialium verborum; nunc autem verba ipsa etiam ut significantia comparamus ad interior mentem legislatoris, et sic dicimus se habere ut corpus et materiam respectu formæ seu spiritus.

2. Præter hæc vero in ipsa mente legislatoris duo distinguimus, scilicet, voluntatem et rationem, quæ Bald. et auctores supra citati videntur confundere, et æqua de illis judicare. Quod etiam docet Bart. in leg. *Cum mulier*, ff. Solut. matrim. per textum ibi. Idem vero Bart. in lib. 3, *Si parens*, ff. de Leg. tut., præter verba distinguit in lege mentem et rationem, dicens ex ratione colligi mentem, non tamen esse idem; sequitur Dec. in l. 1, C. de Edendo, n. 12, et optime in cap. *Secundo requiris*, de Appellat., n. 1, in fine: et sine dubio in animo legislatoris hæc duo distincta sunt, scilicet, voluntas seu intentio ejus, secundum quam vult præcipere, et ratio ob quam movetur: hæc enim in omni persona ex voluntate et ratione operante distincta sunt, ut per se et ex philosophia constat, et ideo de utraque dicendum est quomodo in ea consistat anima legis, seu quomodo pertineant ad intrinsecam formam legis. Hinc enim multum pendet sensus et interpretatio legis, ut postea videbimus.

3. *Conclusio affirmativa.* — *Omnis actus moralis pendet essentialiter ab intentione.* — Dico ergo primo: Voluntas legislatoris est intrinseca forma et anima legis. Probatur, quia lex essentialiter pendet in suo esse ac institutione ab intentione legislatoris: nam licet ille proferat verba de se sufficientia ad præcipiendum, et cum omnibus exterius requisitis ad constitutionem legis, si non habeat intentionem ferendi legem, non feret illam, nec illa erit vera lex. Ratio est, quia omnis actus moralis pendet essentialiter ab intentione, sine qua non est verus actus, sed fictus in suo ordine seu in sua specie. Sic votum exterius factum sine intentione non est votum, nec censura lata sine intentione est censura, nec sacramentum sine intentione collatum est sacramentum, et sic de aliis; idem ergo est